



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

16. Galla vidua amore castitatis barbata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

3ro Cap. LVII. *Causa monstrorum ex parte Dei beneficentia.*

mei vocabuntur? Absint à me tales nuptiæ. Quæ nullas volo, etiam acceptabo inhonestas? Quàm infandus hic esset Hymeneus? An non

Pronuba Tisiphone thalamis ulularet in istis?

Et caneret mœstum deuia carmen anis?

Primum precibus agens,

Da mihi perpetua genitor charissime, dixit

Virginitate frui, dedit hoc pater ante Diane.

Postea etiam grauioribus verbis tædæ iugales execrata est. Vidisses contrarios vtrinque motus. Quantum filia à tali connubio abhorrebat, tantum impurus parens ambiebat, cuius desiderium ipsa negatione incendebatur. Itaque in eo res erat, vt filiam quantumuis matrimonium detrectantem, regia potestate adigeret ad nuptias adornandas. Quò fugeret innocens virgo; iubente patre, cogente rege, nisi ad eum, qui est rex regum, & naturæ Dominus? Illum ergo contentissimis precibus orauit, vt id, quod patri maximè esset illecebrosum, & causâ tam infandæ petitionis, in se mutaret, formamq; illicitem insigniter deuenustaret. Audiit hoc votum Deus, atque vna nocte ita eam vehementer deformauit, vt die altero viri, non feminae ampliùs speciem præferret. Barba enim hispida, & proluxa mentum illius genasq; contextit vndique, verum hoc omnibus & subitum monstrum videbatur. Parens ita demutatam nec pro femina, nec pro filia agnouit, sed, quòd comperisset, esse Christianam, diris eam tormentis subiectam, tandem in crucem clauis affixam crudelissimè interemit; hoc ipso postea, in toto terrarum orbe celebratam, quia barbata virgo mori maluit, quàm incæsto coniugio fœdari.

XVI.

Math. 10. 30.

Luc. 21. 18.

Tanta est Numinis prouidentia, tanta Conditoris cura, vt Christus verè dixerit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; & quidem ita numerati, vt alibi addiderit: Et capillus de capite vestro non peribit.* Quod si capillus de capite non cadit, sine prouidentia Dei, multò minùs sine eadem prouidentia illi accedet. Numinis igitur & sapientia & bonitas est, etiam fœrinæ barba, sub qua tutò castitas potest latere, quæ utique plus pulchritudinis habet, quàm vlla etiam in hoc sexu
barba

barba monstruositatis. Quare etiam in hunc numerum apponenda est Romana illa vidua, de qua D. Gregorius ita scribit: Gothorum temporibus Galla huius urbis nobilissima puella Symmachi Consulis ac Parricij filia, intra adolescentia temporibus marito tradita, in unius anni spatio, eius est morte viduata, quam dum feruente Mundi copia ad iterandum thalamum et opes, et atas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad aeterna gaudia peruenitur, quam carnalibus nuptiis subijci, quae à latitia semper incipiunt, et ad sine cum luctu tendunt. Huic verò cum valde ignea corporis conspersio inesset, ceperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura. Quod ita quoque post factum est. Sed sancta mulier nihil exterius deformitatis timuit, quae interius sponsi caelestis speciem amavit: nec verita est, si hoc in illa sceleretur, quod à caelesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut eius maritus defunctus est, abiecto saeculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium se se apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita larga indigentibus elemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, canceri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant, quia videlicet amica lucis non solum spirituales, sed et corporales tenebras odio habebat. Qua dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum constituisse. Nec perterita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, ei que dixit: quid est domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? cui ille benignissimi, ut est, vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, Veni. Ita igitur ad caelestia regna viam inuenit Galla, quae maluit esse barbata, quam maritata.

Capitis hucusque & mamillae defectus vtilis extitisse ostendimus, in alijs etiam totius corporis vitium morbusque virtuti profuit. Angadrisina virgo, in Gallia, Lothario regnante, fuit, quae cum à parentibus Ausberto Principi viro, qui postea Rothomagensis Ecclesiam exegit, inuita desponsaretur, multis cum

Kkkkk 2

lachrymis

S. Greg. lib. 4.
dialog. c. 13.
Vide de hac
ead. Fulgen-
tium in ep ad
Gallam.

XVII.

Sur. tom. 1.
in vita eius.